

147

145

151

141

156

136

196

096

246

046

Ende

Anfang

132

Huic orationi saepe adstiti. In fine autem injungit cuilibet ut dicat unum Pater noster, et unum Ave Maria pro anima parentum Sancti Juliani. Haec autem singulis noctibus faciunt, nec omittunt. Porro de oratione pro parentibus S. Juliani quaestionem habui, quare diceretur, quia in omnibus navibus per mare eam dicunt de sero, et duplice fui de hoc informatus. Quidam dixerunt, quod illa oratio dicitur in laudem Symonis leprosi, qui prius dictus fuit Julianus, et dominum hospitio suscepit, et ideo, ut ejus intercessione bonum portum et bonum hospitium apprehendant, eam dicunt. Ad quod ego dixi: quod eam dicerent non in laudem Sancti, sed pro animabus parentum S. Juliani: et si dicerent pro bono hospitio habendo, quare non potius dicerent eam b. Marthae, quae fuit singularis hospita Domini, et non poterant mihi respondere. Alii dixerunt, quod illam orationem dicerent pro parentibus S. Juliani, de quo habetur in Spec. Vincent. Part. 2. lib. 10. cap. 115. Qui cum esset juvenis, ignorans interfecit patrem et matrem suam in lecto, putans matrem esse suam uxorem, et patrem adulterum cum ea, ut patet supra. Quomodo autem haec consuetudo sit introducta ignoratur. Iste est ergo ordo divi cultus in mari. Tamen praeter illa multae orationes fiunt a peregrinis die ac nocte. Et postquam ad aliquem portum applicant, devotissime omnes ad ecclesiam currunt pro Missis audiendis. De celebratione autem dominicae et festivitatum in mari, dico quod pessime servantur. Indubitatum enim fuit in me, quin diabolus singulariter cooperetur, ut festorum celebritas debita impediatur. Notavi hoc saepe, quod semper majores inquietudines sunt in navibus in sollemnitatibus, quam alias: et quando 4. aut 5. diebus in aliquo portu stetimus, statim ut vespera sabbathi advenit, profectio parabatur, quae non nisi cum ingentibus laboribus et clamoribus parabatur: qua parata, per totam noctem navigatur, et in dominica nulla Missa habetur. Hoc adeo frequenter fuit factum in navibus, in quibus ego fui, ac si ex industria fieret. Tanto etiam in ipsa navi sunt majores et grossiores labores, quanto dies sunt sanctiores, ut patebit in processu. Ego solitus fui in navi sermonem facere diebus solemnis, (51A), sed quae mihi contigerunt in hoc opere pio dicam

